



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 2. An liceat ei celebrare ut habeat unde vivat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

CAPUT V.

De Retributionibus, seu eleemosynis pro Missarum celebratione, & de applicatione fructus Sacrificii, ut proficiat pro quibus offertur.

Quaest. 1. LICET-NE Sacerdoti accipere pecuniam pro celebratione Missae?

Conc. Trid.
sess. 12. De
Sacrif. Missae.

S. Tho. in 4.
sent. dist. 23.
q. 3. art. 2.
q. 1. ad 4.

D. Th. Opus.
cul. 1. de Of-
ficii Sacerd.
p. 1.

Resp. Certum est in primis, ut ait Concilium Tridentinum, curare diligenter debere Sacerdotes, ut devitent quidquid avaritiam redolet, sic enim ait: Atque, ut multa paucis comprehendantur, in primis quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur; nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius quam postulationes: aliaque hujusmodi, quae à simoniaca labe, vel certè à turpi questu non longè absunt, omninò prohibeant Episcopi. Et ut ait Divus Thomas: Dicendum, quòd facere pactiorem de Missa celebranda, est simoniacum semper; si tamen Sacerdos non habet alios sumptus, & non tenetur ex Officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicut conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missae, sed quasi sustentamentum vitae.

Quaest. 2. Licet-ne Sacerdoti celebrare Missam ut habeat unde vivat?

Resp. Non potest tamen, inquit Divus Thomas, Sacerdos illa intentione celebrare, ut ex hoc pecuniam consequatur, quia peccaret mortaliter.

De Sacrificio Missæ. Cap. V. 251

Sanctus Bernardus, hanc serdidam Sacerdotum avaritiam deplorat dum ait: *Ipsa quoque Ecclesiastica dignitatis officia in turpem questum, & tenebrarum negotium transierunt: nec in his salus animarum, sed luxuria quaritur divitiarum; propter hoc condentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant.*

S. Bernard.
in Psal. 10.

Quæst. 3. Qui tenetur Missam celebrare ratione Beneficii, Capellæ, aut Legati, potest-ne eandem Missam offerre pro alio, qui sibi stipendium dedit?

Resp. Non potest, ut censuit congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum autoritate sibi à summo Pontifice attributâ his verbis: Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, Legati, aut Salarium, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere. Patet etiam ex D. Thoma supra citato, quia una ex conditionibus quam requirit Divus Thomas ut Sacerdos possit aliquid accipere pro celebratione Missæ, est, quòd non teneatur ex officio Missam cantare.

Cavanus in
addit. ad Ma-
nuale Episc.
n. 13.

Ratio est, quia semper præsumendum est, quòd ille, qui nobis onus imposuit celebrandæ Missæ, voluit ad suam intentionem celebrari, nisi expressè oppositum declaraverit; in quo casu videtur posse Sacerdotem applicare Missam pro alio, & recipere eleemosynam pro hac applicatione.

Videatur Constitutio Innocentii XII. in fine hujus Tomi.

Quæst. 4. Parochi tenentur-ne Missas applicare diebus Dominicis, & Festivis pro commissis sibi populis, & possunt-ne aliquam